

ein grösseres lateinisches Gedicht, „Conflictus spiritus et corporis“ (Geisteskampf) betitelt. Der Bibliothekar Magnus Steger bemerkt hiezu i. J. 1628: „Dixerunt seniores nostri quendam Fratrem hujus monasterii haec vidisse et scripsisse, qui die noctuque in capitulo nostro s. Benedicti terrae advolutus orationibus et meditationibus vacavit . . . forte ad annum 1450.“

(Fortsetzung folgt im nächsten Heft.)

De veris Breviarii Romani originibus et prima ejus forma. Disquisitio critico-liturgica.

Auctore R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.

(Conclusio ad fasc. II. 1895, p. 216—223.)

Appendix primus: De institutione Completorii.

Cardinalis Bona ex ordine Cisterciensi primus exeunte seculo decimo septimo S. P. Benedicto audacter tribuit institutionem Completorii.¹⁾ Plures vero postea Liturgistae eandem sententiam amplexati sunt, ad hoc adducti ejus exemplo, seu ex eo quod vox Completorii pro prima vice invenitur in Regula Monachorum occidentalium, seu etiam id concludentes ex eo quod Hora Completorii per plura secula in aliquot locis celebrata est simpliciter in dormitorio et sine ulla solemnitate.²⁾ Quid de tali exemplo et de istis rationibus sentiendum sit, breviter inquiram.

Luce clarius patet in primo loco verba Bona scribentis solummodo post tredecim elapsa secula non maximi esse valoris. Nam testis est unicus et testatur solus contra sententiam (saltem tacitam) omnium per tot secula scriptorum praecedentium. Ut testimonium Bonae in talibus circumstantiis gauderet aliqua auctoritate, necesse esset ut aliquis ei suffragaretur auctor anterior saltem noni vel decimi seculorum. Quo testimonio prorsus deficiente, parvi fit ponderis Bonae assertio. — Secundo loco non plus valet ratio petita ex eo quod vox Completorii invenitur hodie pro prima vice in Regula S. Benedicti. Nam multa antiquitatis documenta exciderunt injuria temporum, in quibus forsitan eadem aderat. Aliunde quamvis vox Completorii defuisset ante Benedictum, res profecto non deerat, teste Cassiano, qui circa primam medietatem seculi quinti statuit: congregandos fratres post coenam: „ad concinendum psalmos, quos quieturi ex more decantant.“³⁾ Nam ista verba Cassiani optime concordant saltem quoad rem cum Ordine Romano toties

¹⁾ De divina Psalmodia c. XVI, § 1.

²⁾ Batiffol: Histoire du Breviaire Romain, p. 88—90.

³⁾ De Institutis Coenobiorum, IV. 19.

citato, in quo legitur „Psalmi Completorii canuntur in fine diei et in initio noctis“ et quotidie iidem repetuntur.

Quinimmo multis annis ante Cassianum S. Ambrosius loquitur explicitè de usu consueto psalmos canendi ante somnum eodem modo ac in hora incensi seu Vesperarum: „Indecens est, ait, Christiano claudere diem sine psalmodiae celebritate.“¹⁾ Alibi clarius: „Si Propheta dicit: septies in die laudem dixi tibi . . . quid nos facere oportet? Certe solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendae, cum e somno surgimus,²⁾ cum prodimus³⁾ cum cibum paramus sumere,⁴⁾ cum sumpserimus⁵⁾ et hora incensi,⁶⁾ et denique cum ad cubitum pergitur⁷⁾ sed etiam in ipso cubili volo psalmos cum oratione dominica frequenti contexas vice.“⁸⁾ Iste locus raro bene intellectus est: nam cum in ista circumstantia Ambrosius scriberet sorori suae Marcellinae, non ab ea forsitan exigit quod non ejus sexum decebat, id est, ut omnibus officiis diei ac noctis adesset in Ecclesia; sed eam hortatur ut loco Vigiliarum nocturnarum psalmos in cubili suo decantet. Aliter vero verisimiliter agebant clerici, et ab eis „septies in die solemnes orationes cum gratiarum actione deferebantur“ non excepta hora in qua ad cubitum pergebant. Unde probabile est quod in ista hora, sicut in sex aliis clerici vivente Ambrosio orabant cum psalterio „laudes canentes Deo“,⁹⁾ ut expresse asserit idem sanctus Doctor in Hymno pro Sexta, cujus authenticitas non tanquam simplicis ambrosiani hymni seu incerti auctoris, sed tanquam scriptio ipsius Ambrosii, habet pro teste eruditissimum Cassiodorum, qui sat vicinus aetatis Ambrosii, et assiduus scriptorum antiquorum lector et indagator eam duplici vice laudat in Psalmorum commentatione.¹⁰⁾

Tertia ratio non meliore nota digna videtur. Nam duae res sunt omnino diversae scilicet existentia alicujus Horae tanquam partis integralis officii divini, et ejusdem solemnitas seu pompa, quarum posterior priore necessario supponit sed non vice versa. Unde usus canendi psalmos Completorii in capitulo vel in dormitorio non impedit quin hoc officium fuerit pars completa et essentialis operis Dei ante et post S. Benedictum. Sed quid hic diutius

1) Hexaameron, V, n. 12.

2) Alludit sanctus Doctor septem Horis Canonice id est, 1. Laudibus Matutinis.

3) 2. Tertiae.

4) 3. Sextae, quae est hora prandii.

5) 4. Nonae.

6) 5. Vesperis.

7) 6. Completorii.

8) 7. Vigiliis Nocturnis. — De Virginibus, lib. tert. 18 et 19.

9) Patrol. lat. t. 17, p. 1174.

10) Cassiodorus in Psalm. CI, v. 1; in Ps. CXVIII, v. 164.

immorer et plura inquiram? Nonne evidenter assertio Bonae et ejus sequacium basi seu fundamento caret et tamquam gratuita rejici meretur? Nunc pauca contra sententiam eorum, qui S. Gregorium Magnum auctorem distributionis Romanae Psalmorum nuncupant.

Appendix secundus: Utrum S. Gregorius Magnus haberi possit tamquam auctor partitionis psalmodum Breviarii Romani.

R. P. Domnus Suitbertus Baeumer, O. S. B., Congregationis Beuronensis, doctus ac pius Liturgista, hodie pro dolor! defunctus multa erudite scripsit de Breviario Romano, et ordinarie concordis sumus opinionis, in aliquibus tamen casibus ab ejus sententia discedere cogor et praecipue quando meus desideratus sodalis proficitur Romanam psalmodum distributionem non antiquiorem esse S. Gregorio Magno.¹⁾ Quae sententia hic prolixius examinanda est: nam si vera esset, ex omni parte mea argumentatio claudicaret.

Porro R. P. D. Suitbertus, ut suam astruat sententiam nihil aliud adducit quam quosdam textus vagos et sine precisione Strabonis, Hildemari et aliquot aliorum noni seculi scriptorum, quorum praecipuus est Amalarius Metensis. Istius ultimi integraliter verba proferam tamquam exemplar et compendium aliorum:

„Tempore s. Benedicti, ait Amalarius, quamvis a Romanis Pontificibus quaedam jam constituta fuissent²⁾ nondum tamen totus ordo psallentium³⁾ in Psalterio et Antiphonario ad liquidum in ordinem redactus fuit: quod postea Gregorius Papa excellentissimus sanctaeque memoriae, ejusdem Sancti Benedicti strenuus Regulae observator et monasticae perfectionis imitator studiosissime ordinavit institutione S. Spiritus.“⁴⁾

Ecce asserta Amalarii, quae profecto magni essent valoris et forsitan in sensu allegato assumi deberent, si ordo psallendi Romanus, de quo iste loquitur, non esset nobis aliter et ex testimoniis antiquioribus plane notus. Rerum vero status prorsus immutatur, dum tribus jam seculis ante Amalarium, ut supra ostensum est, multa de eodem ordine Romano recitata fuerunt tum a S. P. Benedicto tum a Cassiodoro et aliis scriptoribus ecclesiasticis. Hinc verba Amalarii cum grano salis accipienda sunt, ut mihi videtur. Aliis verbis, si ante S. Gregorium totus ordo psallendi, in quantum convenienti psalmodum, antiphonarum, responsorium et lectionum constat, non jam vivente Amalario, erat ad liquidum redactus, quam rem libenter concedo,

¹⁾ »Studien« etc. anno 1889 t. X. p. 391—395.

²⁾ In Impressis legitur: forent, sed erronee.

³⁾ Legendum est: ordo psallendi.

⁴⁾ Mabillon: Vetera Analecta, edit. 1723, p. 93.

idem tamen ordo in quantum simplex est partitio hebdomadaria Psalterii, jam ad liquidum redactus erat, teste Cassiodoro superius allato, neque ei contradicente Amalario, siquidem verba ejus tali modo intellecta, clarum et apertum tenent sensum. Hinc verba allata nihil omnino probant contra meam assertionem de antiquitate primae formae Cursus Romani.

Nunc venio ad textum cujusdam antiqui canonis ecclesiastici, de quo supra

Appendix tertius: Canon quidam antiquissimus de Septem Horis Canonicis.

Tractans superius de aliquot testimoniis, quorum vi et virtute aequaliter fulciebantur asserta Cassiodori et alta antiquitas partitionis liturgicae Psalmorum et institutionis septem Horarum Canonicarum, mentionem feci cujusdam statuti ecclesiastici, quod tamen in appendicem simpliciter rejiciendum erat.

En ejus tenor litteralis: „Unusquisque episcopus in sua provincia diligenter provideat ut Canonicas Horas simul celebrent (clerici). Septem ergo Synaxes Sancti Patres instituerunt, quarum prima est nocturnaliter synaxis, secunda Prima est hora diei, tertia ipsa hora est quam Tertiam vocamus, quarta vero Sexta hora est, quinta Nona hora est, sexta autem synaxis Vespera est. Septimam namque synaxem Completorium vocitamus. — Has ergo septem synaxes omni die debemus Deo sollicite reddere pro nobis et pro omni populo christiano sicut Psalmista testatur dicens: „Septies in die laudem dixi tibi super iudicia justitiae tuae.“¹⁾

Iste canon, qui nobis servatus est ab Egberto Eboracensi discipulo Venerabilis Bedae, inter excerpta Canonum de jure sacerdotali²⁾, ecclesiasticus est non monasticus. Nam discedit a S. Benedicto dupliciter, scilicet in numero Horarum Canonicarum et in interpretatione versiculi 164 Psalmi centesimi decimi octavi, dum e contrario concordat cum Cassiodoro.³⁾

Insuper Romanus est: nam plane consentit cum usibus proprie et speciatim Romanis quoad nuncupationem Septem Horarum Canonicarum, dum sub primo et unico verbo: nocturnaliter synaxis comprehenduntur simul Vigiliae Nocturnae et Matutinae Laudes.⁴⁾ Cassianus, S. P. Benedictus, S. Aurelianus et alii ejusdem aevi Liturgistae aliter agunt, duplexque faciunt

¹⁾ Patrologia latina t. 89 p. 383.

²⁾ Numerum 28 tenet inter istos Canones.

³⁾ Ecclesia Romana, res notatu digna, deserens postea, forsan vivente Gregorio, hanc interpretationem, quae sua erat, interpretationem S. Benedicti recepit et fecit suam. V. Decretum Gratiani, parte prima, dist. 91, can. 2.

⁴⁾ Amalarius, De Ordine antiphonarii. — Patrologia latina t. CV, p. 1246.

officium. Aliunde hic agitur de lege non monastica sed ecclesiastica ac etiam universali, qua admonetur quilibet episcopus ut invigilet super clericos suos, qua astringuntur et ipsi clerici, ut orent non solum pro se sed et pro omni populo christiano. Unde clare patet hanc legem non promulgari potuisse nisi in concilio oecumenico seu generali vel a Romanis Pontificibus, minime a S. Benedicto aut a quodam ex ejus successoribus, aut alio abbate nec a simplici episcopo. Tandem expresse dicitur in allato canone: „septem dictae synaxes a Sanctis Patribus institutae fuerunt.“ Quae verba diligenter consideranda sunt. Nam ex canonis contextu et ex animadversionibus praecedentibus illud manifeste eruitur, sub hoc nomine Sancti Patres intelligi debere quosdam e Romanis Pontificibus, qui vixerunt ante Cassiodorum, non post, siquidem eo vivente jam institutae fuerant istae Horae, ut supra ostensum est.

Hinc ex tenore istius canonis legitime deducitur ipsum antiquiorem esse S. Benedicto ac proinde ipsum adduci posse in presenti controversia de anterioritate Romani supra monasticum cursus.

Geschichts-philosophische Studien.

Von Dr. P. Beda Adlhoch, O. S. B. in Rom.

VI.

Die vorbildliche Ursache der Menschheitsgeschichte.

(Schluss zu Nr. V. Heft II. d. Jahrg. S. 223—237.)

7. Beim Forschen nach den allerletzten Gründen der Dinge kommt der menschliche Verstand zu einer Summe schwieriger Räthsel, die ihn ebenso reizen als sie seiner spotten. Eines unter ihnen ist jenes, das so viele Geister schon geneckt: Warum wollte der unendliche Gott lieber so als anders schaffen? Wie schwierig es sei, auch nur einen nicht von vorneherein unmöglichen Weg zu finden, wurde oben (n. 2) schon bemerkt.

Doch nicht der Inhalt des Problemes blos ist räthselhaft, — räthselhaft ist auch, dass es so beharrlich wiederkehrt, trotzdem so viele schon erfahren, es gehe über ihre Kräfte (cf. n. 3) — räthselhaft müsste sogar erscheinen, dass überhaupt einmal irgend ein normaler Geist mit dieser Frage sich quälen mochte, wenn wirklich nichts anderes als reine und strenge Natur existierte.

Sind wir blos mit reiner Natur ausgerüstet, so lässt sich dieser unabweisbare Drang unmöglich begreifen, weil operari sequitur esse und das Sein über sich und seine Natur nicht hinausstrebt. Als Geschöpfe sind wir zur Dienstleistung verpflichtet; sind wir also bis zur Erkenntnis unseres absoluten Herrn und